



## **Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina**

**Pirhing, Ehrenreich**

**Dilingæ, 1690**

§. V. De electione Religiosorum mendicantium ad Prælaruras, extra ordinem suum, in discordia facta; & de electione aliorum Religiosorum non mendicantium à minore parte eligentium facta?

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

ris Monasterij, ita ut nec possint jus hoc illi concedere prioris Monasterij Regulares, expressè statuit in *e. constitutis 47. h. 2.* Pontifex, si tamen alterum Monasterium sua adæquatè distincta jura habeat, & non sit priori Monasterio tanquam Principali sub eodem Abbate subjectum, & subordinatum, qui jus habeat, vel in hoc, vel in illo loco Religiosum sibi subjectum constituere; in hoc enim casu, cum Religiosus in inferiore Monasterio constitutus, sit adhuc membrum, & pars principalis Monasterij, consequenter mirum non est, quòd non amittat jura prioris Monasterij. Neque talia jura contra sacros Canones, & favorem Ecclesie possunt concedere prioris Monasterij Regulares, cum pacta privatorum, juri publico & communi (quod non vult Monachum in duobus Monasterijs Capitularem existere) præsertim in favorem Ecclesie constituto, derogare non possint.

## §. V.

*De electione Religiosorum mendicantium ad Prælaturas, extra ordinem suum, in discordia facta; & de electione aliorum Religiosorum non mendicantium à minore parte eligentium facta?*

**I**n *q. quorundam 24. h. 2. in 6.* statuit Bonifacius VIII, ut ne ulli Religiosorum mendicantium ad aliquam Prælaturam extra suum ordinem, in discordia electo, ullum jus acquiratur, quamvis in illius electionem consenserit Prælatus Regularis; neque possit talis Religiosus mendicans, in discordia taliter electus, in sui electionem talem consentire,

quamvis licentiam sui Prælati super hoc habeat. Et in *§. cura in eod. c.* statuit in super, nullum jus acquiri cuicumque etiam non mendicanti Religioso, quamvis Superioris licentiam, & consensum super sui electione habeat, si à minore parte Capituli, ad Prælaturam talem, extra suum ordinem electus fuerit, ita ut quidquid contra præmissa attentatum fuerit, irritum sit & inane; statuens hæc ob majorem Religiosorum perfectionem, & ne litibus ambitiosis, quæ faciliè ex talibus electionibus oriuntur, immiscere se teneantur, cum perturbatione religiosæ quietis, & cultus divini diminutione. Dicitur autem in ordine ad hujus Capituli constitutionem, in discordia facta electio, si vel plures electiones factæ, & publicatæ sint, quarum una v. g. fuerit de Religioso mendicante, vel si una quidem de Religioso mendicante facta est, cui tamen aliqui, vel etiam unus contradicat, juxta *Gloss. hic V. in discordia*: à minore verò Capituli parte facta electio dicitur, si minor pars ex Capitularibus, qui de facto eligunt, quamvis eorum aliqui jure eligendi privati sint, in unum aliquem Religiosum non mendicantem consentiant. Veluti, si ex 12. Capitularibus, decem eligerunt Religiosum mendicantem, cui duo tamen contradicunt; vel si octo eligant indignum, quatuor verò Religiosum non mendicantem dignum, dicitur in illo casu, electio Religiosi mendicantis facta esse in discordia; & in posteriore casu dicitur Religiosi non mendicantis electio facta à minore parte Capituli, non quidem de jure eligentis, cum illi qui indignum eligunt, si scienter hoc faciant,



pro illa vice sint privati jure eligendi, sed de facto eligentis: neque enim in hac constitutione attenditur, an jure suo privati sint, sed an jus aliquando habuerint, & nunc eligant: si tamen Capitulares ad eligendum habiles non tantum in genere, sed expressè & nominatim protestati fuerint, nihil valebunt talium vota, ut dicatur talis electio à minore parte facta.

## §. VI.

*De forma Electionis Prælatorum Regularium, eorumque confirmatione, & benedictione.*

**F**orma electionis Prælatorum Regularium, quamvis eadem sit, quæ supra præscripta, & explicata est, ex quo propter 42. h. t. hodie tamen ferè omnes Prælatorum talium Regularium electiones fieri solent per modum scrutinij, ita tamen, ut à singulis eligentibus suffragia, non viva voce dentur, coram scrutatoribus, sed scripto, in schedulis secretis tradantur; quem modum videtur etiam Trident. sess. 25. c. 6. de Regn. approbare, si per viam scrutinij fiat electio; neque enim alias duas formas electionis per compromissum, & per inspirationem, ubi suffragia non sunt secreta, tollit Tridentinum.

Debet autem electio Prælatorum Regularium confirmari de jure communi à Summo Pontifice, vel ab ejus Legato à latere in Provincia existente, si talium Prælatorum Regularium sit hæc electio, qui exempti sunt, & immediatè subsunt Sedi Apostolicæ: non exemptorum verò electio ab Episcopis, quibus proximè sunt subjecta eorum Monaste-

ria, confirmari debet, nisi ex peculiari- bus ordinis talis statutis, privilegijs, vel consuetudinibus aliter fieri debeat, quæ peculiaria ordinum statuta, privilegia, & receptæ consuetudines, sicuti plurimum possunt in electione Prælatorum Regularium, ita multum possunt etiam juris communis constitutiones circa confirmationem, & alia ejuscemodi requisita variare &c. Et quamvis Abbates, & similes Prælati Regulares, etiam jus intulæ, & baculi habeant, non consecrantur, cum consecratio propriè dicta fiat per sacri Christifidis unctionem, benedicuntur tamen per simplicem, & deprecatoriam manuum impositionem, ab Ecclesia institutam; & quidem ab Episcopo, cui subjecti sunt, vel si non sint immediatè illi subjecti, ex commissione Summi Pontificis, assistentibus communiter duobus alijs Abbatibus, Die Dominicâ, vel ut probabilis sententia docet, quolibet Die Festo, (nisi specialia iterum statuta, aut privilegia, vel receptæ consuetudines aliud jubeant) quæ tamen benedictio semel collata, si ad aliam Abbatiam postea benedictus talis Abbas transferatur, reiterari non debet: quamvis enim characterem non imprimat, cum propriè loquendo non sit Ordo, aut Sacramentum, sicuti tamen alia quædam Sacramentalia, benedictio nuptiarum v. g. semel collata non iterantur, ita nec benedictio hæc: & sicuti Episcopus post confirmationem obtentam, ante consecrationem, omnia potest, quæ sunt jurisdictionis Episcopalis, post consecrationem verò etiam ea, quæ sunt Ordinis Episcopalis, ita etiam confirmatus Abbas ante benedictionem potest omnia